



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Quo differt paßionum Dominum ab Apathia damnata à Sanctis. Cap. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

Ecclesiâ excellenti vitæ sanctimoniâ præditi, abhorrebant à iudicandis aliis, sed viscera benignissimæ charitatis cunctis exhibebant, illius, inquam charitatis; quæ, ut ait Apostolus, *non cogitat malum*, scilicet de aliis. *Amabile est*, inquit S. Chryllostomus, *Sanctorum omne genus, propterea, Paulus dicebat: Induite vos sicut electi Dei Sancti, & dilecti, viscera misericordie, benignitatem &c. Non dixit, Misere mini simpliciter: sed induite vos, ut sicut vestimentum semper nobiscum est, sic & misericordia. Nec simpliciter dixit, Misericordiam, sed viscera misericordie: ut naturalem imitemur amorem.* Hinc quos Deus euehere incipit ad excellentiam sanctitatem, statim infundit eis mores ab omni iudicio morum alienorum valde abhorrentes; qui ergo cupit Sanctorum classi adscribi in occulto Dei iudicio, censoria deuinet iudicia aliorum, uti & quæuis alia deliberata peccata. Hæc enim præcludunt aditum illis Dei donis, sine quibus nulli dat passionum dominium. Nam, ut bene ait Abbas Nesteros apud Cassianum, *Nemo in vas fatidum atque corruptum, vnguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretiosum quicquam liquoris infundit. Ita & vas pectoris nostri, nisi prius fuerit ab omni fædissima vitiorum contagione purgatum, non merebitur suscipere illud benedictionis (Diuinæ) vnguentum, de quo dicitur per prophetam. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius, &c.*

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Quomodo differt passionum dominium ab originali iustitiâ, seu innocentia Paradisiacâ, in qua fuit Adam ante peccatum?

166.
num. 19.
& 90.

Respondeo. Etsi resolutio huius questionis peti possit ex iis, quæ supra dicta sunt, Responzione ad questionem 11. & ad questionem 13, tamen ut paucis rem contraham, dico, iustitiam originalem hæc propriè habuisse semper, quæ vel nunquam, vel non semper coniuncta sunt cum passionum dominio. Nam Adam tempore iustitiæ originalis, non potuit peccare venialiter, non habuit vllum motum passionis etiam inordinatum, afflictiuum, uti est dolor, timor, tristitia, cupiditas æstuans. Non est passus vllum etiam leuissimum passionis, etiam non inordinatæ motum anteuerentem imperium rationis & voluntatis. Nulla internam tentationem passus est, aut ortam ex aliquâ corporali passione sensit. Nullum alium motum passionis contrarium rectæ rationi expertus est. Excitato per imperium rationis & voluntatis motu ordinato passionis, illa statim cessabat, cum vellet eam cessare, & exurgebat toties, quoties volebat. Imò nihil horum pati potuit. Hæc autem non præstat dominium passionum.

Ceterum passionum dominium adfert alia, quæ questione 13, attuli, quæ perfectiori modo erant in statu iustitiæ originalis. Cum passionum tamen domino esse possunt lenes & breues motus passionum inordinatarum, non valde inquietantes hominem, nec ad peccatum re ipsa perducentes, tamen anteuerentes rationem, quales motus fuisse etiam in statu originalis iustitiæ, leuiter contra rectam rationem exurgentes, existimarunt Scotus & Gabriel, (non recepti in hoc ab aliis Theologis) & in B. Virgine fuisse quoque circa res non malas, docet S. Thomas, & eum secutus Greg. de Valètia: cuius verba, & Molina operæ pretium est, hic adferre: quibus tamen non assentior, nec contradico. S. Thomas concedit B. Virginem habuisse subitò aliquos motus sensualitatis, anteuerentes deliberationem rationis. Quod tamen nullo modo intelligendum est de motibus exurgentibus contra rectam rationem. *Motus autem primò primos*, inquit loco citato Valentia, *circa obiecta sensibilia, quæ non repugnarent rationi recte, non est absurdum concedere fuisse quandoque in Virgine, ut etiam concedit D. Thomas hic ad primum.*

Imò Scotus & Gabriel, & plerique alij, ut ait Mol. de Molina (nec enim hic habeo istos Auctores arbitrantur iustitiam originalem fuisse donum supernaturale, quo comprimebantur vires sentientes, & continebantur, ut vel omnino non excitarent passionum motus contra rationem, vel si quos, non admodum vehementes, producerent, sine vilo labore & molestia, & comprimere faciliè, & ad imperiū voluntatis conuincerent. Neque enim hi Doctores absurdum reputant concedere, fieri potuisse in statu innocentia, ut lenes passionum motus contra rectam rationem, leuesq; aliqua molestia, & tristitia corporis insurgerent.

Quocirca, si iudicio tantorum Doctorum, S. Thomæ, & Scoti, in statu originalis iustitiæ, & innocentia paradisiacæ, aliqui passionum motus insurgent, anteuerentes imperium rationis, & voluntatis, nihil id repugnat domino passionum, diuinitus seruis Dei concessio.

Plura hæc de re dicā in Responzione ad c. 19.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Quomodo differt dominium passionum, ab apathia damnata à Sanctis?

Respondeo, antequam directè respondeam ad questionem, præmittenda sunt aliqua historica de apathia.

Imprimis S. Hieron. in quadam epistolâ, variè (quoad ordinem inter eius epistolas citari solitâ) asserit: *Euagrius Ponticus Hyperbortam libro edito docuisse à patre dei, quomodo nos impasibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus vilo perturbationis vitio commouetur, & ut simpliciter dicam, vel saxum, vel Deus est.*

Talem apathiam esse humanæ naturæ prorsus contrariam, meritò & SS. Patres, & Theologi docent. Siquidem, ut supra vidimus, etiam in Christi Domini humanitate fuerunt boni

ni affectus humanarum passionum, gaudij, trititiae, timoris, latitiae, irae, teste Scripturâ factâ.

Secundò notandum est, aliquos SS. Patres nequaquam suspectâ fidei in hac materiâ, disertis verbis facere mentionem in suis libris, apathiae cuiusdam, & impatibilitatis, ad quam nos posse, & debere aspirare docent. Sed certum est eos, inter quos est S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Diadochus, S. Dorotheus, S. Cyrill. & Theodoros) nomine apathiae non intellexisse illam impassibilitatem Euagricam, sed tranquillitatem animae & corporis, nasci solitam ex mortificatis inordinatis affectibus, mentem valde perturbantibus, & rationi valde resistentibus, eamque tunc inquietantibus, cum nondum sunt edomita: ac dominio hominis per Dei gratiam, & virtutum praesidia subditae. Nam illi ipsi Patres, disertè dicunt, sine humanis affectibus, & passionibus, hominis in hac vitâ statum esse non posse. Vti ostendi in Opusculo de iudiciis, & gradibus spiritualis profectus c. 3.

Hinc S. Macarius à Suida citatus scriptum reliquit: *Asperam viuendi rationem cum charitate copulata, celerius monachum ad animi tranquillitatem, quam amara Dei, appellant, perducere.* Et S. Diadochus: *Si angores aegritudinum animo grato excipias, argumentum est, non procul ab indolentiâ (seu apathia) id est à vacuitate turbidarum affectionum abesse.* Ita ipse explicat apathiam, seu indolentiâ. Quocirca SS. Patres per apathiam non intelligunt absentiam totalem passionum, sed vacuitatem à perturbatione passionum, seu animi tranquillitatem quae nascitur ex domitis passionibus. Hoc sensu intelligendum est S. Ioannes Climacus dum gradu octauo initio, *ignominia desiderium, aut esse ira vacuitatem, & ire vacuitatem, aut esse naturae superationem, absque vilo iniuriarum sensu, scilicet hominem perturbante.*

Prima ergo apathia Euagrica, à passionum dominio differt, sicut non ens, ab ente, quia impossibilis est. Secunda verò non differt, sed est effectus dominij passionum inseparabilis. Cur autem hi Patres hanc mentis tranquillitatem, à passionibus perturbantibus liberam, appellarent apathiam, causa esse potest, quia iuxta doctrinam S. Ioannis Damasceni, non videntur meriti nomen passionis illi motus, etsi rationi contrarij, & rationem praenepientes, qui adeo sunt leues, & mites, vt vix, vel ne vix quidem sentiuntur, quia non alterant sensibilibus corpus, vt alterant passiones nondum edomita.

Ideo S. Damascenus in definitione Passionis receptâ à Theologis, *passionem ait esse motum sensibilem, seu sensitiuum appetitiuum potentiae, seu virtutis, ortum ex imaginatione boni vel mali.* Et paulò infra addit hæc: *Non omnino etiam motus eius, qui patitur, passio dici meretur, sed qui vehementiores sese sensui produnt.* Nam qui parui sunt, & insensibiles, nondum passiones dicuntur. Oportet enim passionem praesensere magnitudinem, quae alicuius sit estimationis. Ideò de si-

nitioni passionis adicitur. *Sensibilis.* (Graecè est *κίνησις*) vt dicatur. *passio est motus sensibilis praeter naturam.* Nam parui motus latentes sensum, non faciunt passionem. Quod sanè consentaneum est modo loquenti Theologorum & Philosophorù, qui denominationes rei fumendas volunt à parte potiore: qualis est passio vehemens, & vehementer patitur, hoc est, alterari corpus faciens, dū exurgit, siue inuitis siue volentibus nobis. Quocirca etiâ Cicero à Stoicis aiteas appellari perturbationem (hoc est passionem) appetitum vehementiorem, qui longius discesserit à natura constantiâ. Quae ergo passionis affectio vehemens non erit, etiam eorum iudicio nomen passionis non meretur.

Tertio notandum est immeritò Stoicis omnibus adscribi primam illam apathiam Euagricam. Stoici enim sapientiores, non docuerunt motus passionum naturalium rationi non repugnates, esse ab hominis naturâ alienos: sed diserte eos agnouerunt, & docuerunt. Quod S. Aug. ostendit citans Auli Gellij testimonium, scribentis se in quinto libro *διὰ τὴν ἐπιπέτην* Epicteti ex Stoicorù decretis accepta, hæc legisse: *Cum sonus aliquis formidabilis, aut calor, aut ex ruina, aut repentinus nefcius periculi nuntius, vel quid aliud eiusmodi factum, Sapientis quoque animum paulisper moueri, & contrahi, & pallescere necessum est: non opinione alicuius mali praecipit, sed quibusdam moribus rapidis, & inconsultis, officium mentis atque rationis praevententibus, mox tamen ille sapiens, ibidem *τὸς τοιαύτους φάσκει εἶναι, visa isthæc animi sui terrificæ, non approbat, sed abicit, respuitque, nec ei metuendum esse in his quicquam videtur. Atque hoc inter insipientis, sapientisque animi differre dicunt, quod insipiens qualia sibi esse primo animi sui pulsu visa sunt saua, & aspera, talia verò esse putat, & eadem incepta, quae quasi iure metuenda sunt, sua quoque offensione approbat.* Sapiens autem, cum breuiter & strictim, colore atque vultu motus est, statim, vigoremque sententiae suae retinet, quam de huiusmodi causis, (id est, imaginationibus, seu phantasiis) semper habuit, vt de minimè metuendis, sed fronte salsa, & formidine inani territantibus.*

Hæc ibi Gellius, quæ S. Aug. breuiter citat. Et hinc deducit, *aut nihil, aut pene nihil distare inter Stoicorum, aliorumque Philosophorù opinionem de passionibus, & perturbationibus animorù* (per alios Philosophos, intelligit Platonicos, & Peripateticos, paulò antè à se commemoratos) *Vtrig, enim mentem, rationemque, Sapientis ab earum denominatione defendunt.* Et ideo fortasse dicunt Stoici, *eas in Sapientem non cadere, quia nequaquam eius sapientiam, quâ vtrig, sapiens est, vilo errore obnubilant, aut labe subuertunt.* Accidunt autem animo sapientis, *salua serenitate sapientia.* Quin & S. Thomas ait, hanc inter istos contouertiam fuisse, non de re, sed de nomine.

Et Seneca Stoicorù præcipuus, *Nunquam, inquit, ego à te, ne ex toto mareas exigam: & scio inueniri quosdam dure magis, quàm sortis prudentia viros, qui negent doliturum esse Sapientem.* Hi non videntur vnquam in huiusmodi casum incidisse. Alioquin

excussisset illis fortuna superbiam, sapientiam, & ad confessionem eos veri, etiam inuitos, compulisset. Satis presertim ratio, si id vnum ex dolore, quod abundat, & superest, exciderit. Et cap. 36. Non sentire mala sua, non est hominis; non ferre, non est viri.

Ceterum aliquos Pythagoricos bene de humanis sensisse affectibus, certum est. Nam Theages Pythagoricus sic ait: Quoniam virtus morum circa affectus, & affectuum praeceptum, voluptas & dolor, liquet non in eo virtutem esse, ut eximantur affectus animo, sed ut temperentur. Et Archytas ex schola Pythagorae, nascitur, inquit, ex affectibus virtus, & nata cum illis consistit, sicut concinna modulatio ex acuto & graui: item temperies ex calido & frigido. Non igitur tollere affectus oportet, sed aptare ad id, quod rationem decori & mediocritatis habet.

Quarto notandum est, hanc ob causam Stoicos improbari circa doctrinam de passionibus, eisque ab aliquibus adscribi falsam de apathia doctrinam, tum quia negabant posse cadere tristitiam in hominem sapientem, tum quia passiones omnes dicebant malas esse, & in hominem sapientem ac probum cadere non posse, atque ita in illo esse apathiam; eod quod passiones nominarint illas tantum, quae a ratione exorbitant, eas vero quae sunt conformes rectae rationi, non vocabant passiones. Sicut enim Cicero, ut etiam refert S. Augustinus, ex sententia Stoicorum passionem definit: ut sit animi commotio auersa a recta ratione, & contra naturam. Cum autem constanter prudenterque animus commouetur, eiusmodi appetitionem Stoici εὐλαγία appellat; nos, inquit Cicero, appellamus voluntatem, eamque illi putant in solo esse sapiente: quam sic definiunt. Voluntas est, quae quid cum ratione considerat.

Sed cum etiam viri probi & sapientes patiantur quandoque motus inordinatos passionum a ratione discrepantes, & rationem preuenientes, & rationi liberè operanti bona, interdum resistentes, malè Stoici a passionibus sapientem & probum liberum esse dicebant, & hoc modo loquendi, apathiam quandam in eo agnoscant, quamquam minus late patentem, quam fuerit illa Euagrij supra commemorata.

Quinto notanda est origo sententiae Stoicorum hac de re, quam clarè & breuiter ita S. Thomas describit, quae eius descriptio seruiet ad plenius intelligendam naturam & conditionem passionum nostrarum, & dominij circa illas, cuius occasione tam multa de passionibus hominis in medium attuli, ex sacris, & profanis Authoribus: Stoici, inquit, dixerunt omnes passiones esse malas: Peripatetici vero dixerunt passiones moderatas esse bonas. Stoici enim non discernant inter sensum, & intellectum, & per consequens, nec inter intellectum appetitum, & sensuum: unde nec discernant passiones animae a motibus voluntatis, secundum quod passiones animae sunt in appetitu sensuum. Simpliciter autem motus voluntatis, sunt in intellectu: sed omnem rationabilem motum appetitum partem, voca-

bant voluntatem, passiones autem dicebant motus progredientem extra limites rationis. Et idè eorum sententiam sequens Tullius in 3. libr. de Tusculanis questionibus, omnes passiones vocat animi morbos: ex quo argumentatur: quod qui morbofi sunt: sani non sunt, & qui sani non sunt, insipientes sunt: unde insipientes insanos dicimus. Peripatetici vero, omnes motus appetitus sensuum, passiones vocant: unde eas bonas estimant, cum sunt a ratione moderata, malas autem cum sunt praeter moderationem rationis. Ex quo primum patet, quod Tullius in eodem libro Peripateticorum sententiam, quia approbabant mediocritatem passionum: inconuenienter improbat dicens, quod omne malum etiam mediocre vitandum est: nam sicut corpus etiam mediocriter agrum, sanum non est: sic ista mediocritas morborum, vel passionum animae, sana non est. Non enim passiones dicuntur morbi, vel perturbationes animae, nisi cum carent moderatione rationis.

Ex dictis patet, Primum, passionum dominum esse totaliter diuersum ab apathia Euagrij, sicut ens a non ente, plus quam lux a tenebris.

Secundò diuersum quoque esse ab apathia Stoicorum. Primum, quia domini passionum suarum agnoscunt esse in quouis homine viuento passiones aliquas rationi rectae repugnantes, etiam in homine sapiente, quod Stoici negabant. Secundò, quia Dominus passionum ita se habet respectu passionum rebellium rationi, sicut Rex respectu famulorum rebellium, quos suis armis vicit, & subiugauit, & coegit sibi obsequia praestare dominio politico, non despotico supra explicato. Sicut ergo Rex, & eius potestas ac robur, diuersum est a seruo rebellis, domito & subiugato, ita Dominus, & dominium passionum diuersum est ab apathia Stoicorum: proinde qui docent posse acquiri beneficio Diuinae gratiae passionum dominum, non docent vllam apathiam, sed rem totaliter diuersam a quaui apathia, Sanctis diuinitus dari solitum, ab iis, ut supra vidimus, agnitum & commendatum, & vitae perfectioris amatoribus propositum ad imitandum, seu ad emulandum, ac per exercitium virtutum, sui que victoriam, quaerendum.

Sextò Ad pleniorè doctrinarum de passionibus cognitionem, hoc quoque notandum est. idè & à S. Augustino, & à S. Thoma supra citatis, & à Cicerone existimatum esse, Stoicos & Platonicos à Peripateticis magis nomine, quam te discrepasse, in sententia de passionibus: quia, ut scribit S. Augustinus, quas Graeci appellant εὐλαγία, Latine autem Cicero, constantias nominauit (proprie bonos affectus) Stoici tres esse voluerunt pro tribus perturbationibus in animo sapientis. Pro cupiditate, voluntatem: pro latitia, gaudium: pro metu, cautionem: pro agritudine vero, vel dolore, (quem nos vitanda ambiguitatis gratia tristitia malimus dicere) negauerunt esse posse aliquid in animo sapientis. Tristitia enim quia de malo est, quod non accidit, nullum autem malum existimant posse accidere sapienti; nihil

Stobz. f. 1.

Ibid.

174. S. Aug. l. 1. 4. c. 8. S. Th. 1. 2. q. 2. 4. a. 3.

Cicer. 4. Tuscul. Aug. l. 1. 4. c. 8.

num. 168. 175.

1. 1. q. 2. 4. a. 2.

176.

num. 66.

ad c. 11.

177.

Aug. 1. 9.

c. 4.

Th. 1. 2. q.

2. 4. a. 1.

Cic. l. 4.

de finib.

Aug. 1. 14.

c. 8.

Cic. 4.

Tuscul.

1. 1. q. 2. 4.

a. 1.

nihil in eius animo pro illa esse posse dixerunt. Sic ergo illi loquuntur ut velle gaudere, cauere, negent nisi sapientem: stultum autem non nisi cupere latari, melius contristari. Et illas tres esse constantias, has autem quatuor perturbaciones secundum Ciceronem, secundum plurimos autem, passionem. Græcè autem illa tres, sicut dixi, appellantur *εὐπρέπεια*, ista autem quatuor, *πάθος*.

Deinde pergit S. Augustinus impugnare hæc Stoicorum doctrinam, ostendendo ex sacrâ scripturâ illos affectus, quos solis sapientibus dicebant esse proprios, attribui etiam malis, & de contrario. Sed Cicero fusius enumerat, & ponit. Derat hos sapientum, & stultorum affectus. Qui verè non res, sed nomine differunt. Ideò merito S. Augustinus, & S. Thomas dixerunt, inter Peripateticos Platonicis adiunctos, & inter Stoicos, magis de nomine, quàm de re fuisse distidium quoad passionem.

CAPVT VIGESIMVM.

De humanarum passionum Dominio.

178. *S*ciendum est, illa quæ supra diximus, reperiri in hominibus habentibus passionum dominium, videtur hoc dominium non differre à ligatione, & ablatione fomitis, qui in Christi Domini Humanitate non fuit, & in B. Virgine à Theologis asseritur fuisse ligatus, in eius primâ sanctificatione, quam accepit in utero S. Annæ, & postea ablatum fuisse totaliter, tunc, dum Christus Dominus in eâ incarnatus est, ut probabiliter putat S. Thomas, quamuis alij etiam probabiliter existimant eum sublatum fuisse in primâ sanctificatione.

179. q. 4. ad 1.

Respondeo: Dominium passionum rem esse diuersam à ligatione, & ablatione fomitis, eaque inferiorem, & non ita præstantem. Quod ut intelligatur à Tironibus, omittis controuersis, & subtilitatibus Theologicis, breuiter explicandum est, aptè ad captum illorum, quid sit fomes peccati, & quomodo ligatus fuerit in B. Virgine, in primâ eius sanctificatione, & quomodo postea totaliter ablatum, dum Christum conciperet in eius Incarnatione.

179. q. 2. ad 1.

Sciendum ergo est, fomitem peccati in actu primo (ut loquuntur in scholis Theologi, & Philosophi) esse naturalem habitualem inclinationem appetitus sensitui, in quantum est proxime disposita ad actus suos, scilicet ad motiones & affectus, circa objecta illicita, & rectæ rationi contraria, & rationem præuenientia, & ad peccatû trahentia, seu allicientia. In actu verò secundo fomitem, esse ipsam motionem, seu actum, & affectum talis inclinationis, & concupiscentiæ. Et ita utroque modo acceptum fomitem describens S. Thomas ait: *Fomitem peccati, nil aliud esse quàm inordinatam concupiscentiam sensibilibus appetitus in quantum repugnat rationi, inclinando ad malum, vel difficultatem faciendi in bono.*

Porrò cum hæc inclinatio non sit appetitui

sensitui essentialis (essentia enim eius tantummodò consistit in hoc, ut feratur in obiectum sensibile, non autem ut feratur in obiectum sensibile illicitum seu contrarium rectæ rationi) sed accidentalis, potest tolli illis modis, per quos Theologi docent, sublatum fuisse à B. Virgine Maria, & in Christo non fuisse.

3. p. q. 15.
a. 2. & q. 27. a. 3. & a. 4. ad 1.

Hic fomes, qui aliter appellatur, concupiscentia, & lex membrorum repugnantium rationi, est effectus peccati originalis, ortus ex priuatione iustitiæ originalis in Adamo, quæ sensualitatem reddebat obedientem rationi. Dicitur autem fomes peccati, quia incitat ad peccatum, per motus contrarios rationi, qui ab eo procedunt, quemadmodum fomes materialis, facillè ignem concipit, igni adiunctus.

179.

Sed in B. Virgine in primâ eius sanctificatione, dicitur à plerisque Theologis cum S. Thoma, fuisse tantum ligatus, non totaliter ablatum. Ligatus quidem idè, tum quia per abundantem gratiam, & virtutes, quæ ei fuerunt collatæ, in primâ eius sanctificatione, fuit hæc naturalis concupiscentia, quasi consopita, & ligata, ne haberet effectum vllum in Virgine, per motum aliquem rectæ rationi contrarium: tum quia per Diuinam protectionem ac prouidentiam, sensualitas eius, seu appetitus sensituius, prohibebatur ab omni motu inordinato. Poterat tamen tunc esse in sensualitate eius aliquis motus rationem præueniens, iudicio S. Thomæ.

3. p. q. 27. a. 4. ad 1.

Totaliter autè sublatum fuit tunc, cum Christum concepit in se incarnatum, quia tunc per maiorem gratiæ abundantiam, & virtutum altioris gradus, fuit illi collatum, ut ne quidem posset pati motus contrarios rectæ rationi, & præuenientes rationem, eo modo, quo in Adamo iustitiæ originalis, ab eo per peccatum perditæ, hoc ipsum præstabat. Quanquam aliqui docent, ab instanti cõceptionis immaculatæ extinctum fuisse in Maria fomitem peccati. ALENIS, SCOTUS, GABRIEL, ALMAINUS, MARFILIVS, CORDUBA, SUAREZ, qui tradit hanc sententiam ferè esse omnium, qui immunitatem à peccati originalis labe Mariæ adstruunt.

Al. 3. p. q. 9. in 2. a. 1. & in 3. a. 1. & 2. Scot. Gab. Al. dist. 3. Cord. l. 1. q. 4. 5. Suarez. t. 2. in 3. p. q. 27. a. 3. ad 6. disp. 4. sect. 5.

Ligatio ergo fomitis præstabat, ne fomes prodiret in actum secundum concupiscentiam inordinatam; subtractio verò totalis, præstabat, ne etiam posset prodire in actum secundum, uti in Christo prodire non potuit. Quâvis enim & in Christo, & in B. Virgine manserit appetitus sensituius seu ipsa naturalis potentia sensualitatis, ex se propensa in omnia objecta sensibilia, atque ad eò etiam in illa, quæ sunt contraria rationi, quia tamen fomes peccati, non quomodocumque est hæc potentia sensualitatis, siue appetitus sensituius, sed ut potest expedire & proxime tendere in ea etiã objecta, quæ sunt rationi contraria, cum nec in Christo, nec in B. Virgine fuerit hæc facultas proxima tendendi in objecta sensibilia repugnantia rectæ rationi